

plures quam trecenti milites; et post solus ego nunc audivi a quodam studente de Lipsk, qui venerat ex parte marchionis Misnensis, ut sciscitaretur de captivis, qui mihi retulit, quod solum de Misna et de Turingia praeter alias provincias caesa et perierunt ibi plus quam 18 millia hominum et domini vexilliferones 23 et 7 comites ibi occubuerunt. Et post conflictum, qui in civitate fuerunt, statim fugierunt de civitate. De Boëmis autem vix ad 30 occisi sunt in hoc bello.

V.

Hofbibliothek Wien Cod. 5414 fol. 13^a.

Vgl. S. 22.

Anno domini 1426 Junii die 16. factum est prelium campestre inter dominum ducem Saxonie et marchionem Misne Fridericum et Hussitas ante Awsk super Albea, in quo bello multi nobiles ceciderunt, comites, barones et clientes. Cecidit tunc burggravius Misnensis, comes de Beychlyngen et alii complures, comites, barones, milites etc. Fui tunc temporis scholaris parvus frequentans scolas in Friberga. Hic marchio Fridericus primus fuit dux Saxonie inter marchiones Misne, cui successit in ducatu marchio Fridericus filius suus, qui uxorem habuit sororem¹ domini Friderici illustrissimi principis ac domini Romanorum regis semper augusti Austrie Stirie etc. ducis, cujus ego indignus postea familiaris fui.

VI.

Aus dem Chronicon terrae Misnensis.

Universitätsbibliothek Jena Mspt. Buder.

Vgl. S. 25.

Anno domini 1426 absente ipso duce Friderico Bohemi magnum congregaverunt exercitum adversus Misnenses. Ducissa vero uxor Friderici similiter misit contra eos multitudinem magnam sub ducibus exercitus et comitantia multorum nobilium. Committentibus itaque bellum occubuit pars Misnensium, in quorum exercitu melior et major pars nobilium, comitum, militum et baronum terrarum Missne, Thuringie et Orientalis [terre] interiit, et hoc per traditionem cujusdam nobilis Thuringi dicti Appel Vizthum, cui major cura exercitus commissa fuit tanquam superiori capitaneo. Qui et fertur dixisse: Nunc vindicavi fratrem meum. Habuit enim ante illud factum fratrem, qui erat marschallius in curia principis. Hic decapitatus fuit coram imperatore Sigismundo. Nam quodam tempore Fridericus dux Saxoniae disposuit pecuniarum magnam summam dirigere imperatori in propinam donationis ducatus Saxoniae. Hanc ipse Vizthum tradidit, ita ut deferentes spoliarentur et aliqui occiderentur. Postquam vero Fridericus dux Saxoniae fuisset in terram suam, nimium turbatus de interitu tantorum nobilium, post annum moritur. Commissum fuit bellum illud letale ante civitatem Awssigk in die Viti, quae erat dominica dies.

¹ Margaretha, Schwester Friedrichs V. (III.), römischen Königs seit 1440 Februar 2., Kaiser seit 1452 März 19. Die Niederschrift war also zwischen 1440 und 1452 erfolgt.